



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De purgatorio Abbatis, qui inuitus iuit ad laborem, cap. 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

tem. APOLLONIUS: Quid si ipsi Abbates ordinem suis
minus custodierint? CÆSARIVS: Sicut subiecto proba-
bitur exemplo, & ipsi poenæ subjacebunt.

C A P V T XXXI.

*Laboris
fuga.*

Recitauit mihi nuper Henricus major Celle-
rarius de Claustro, visionem notabilem satis:
Contigit, inquit, ut die quadam haberem so-
cium viæ monachum quendam ordinis nostri, cumq;
simul conferremus de ædificatorijs, dixit mihi: Ego
vobis referam quid nuper contigit in domo nostra;
Habebamus Abbatem virum in disciplina ordinis sa-
tis perfectum, excepto hoc solo, quod nunquam penè
cum fratribus exire voluit ad labores manuum: hic
cum moriturus esset, & monachus quidam, quem fa-
miliarij præ cæteris diligebat, ei seruiret, ait ei idem
monachus: Domine, rogo vos intuitu charitatis, ut
infra hos triginta dies mihi apparedo, de statu vestro
me certificetis. Respondit Abbas: Si mihi concessum
fuerit, libenter faciam: sicq; defunctus est. Monachus
verò, quia multa fecerat ei bona, quotidianis lachry-
mis in oratione Deum pro illius excessibus ante ali-
quod altare placare studebat. Tricesima die, cū iam
monachus de Abbatis reditu desperasset, illi oranti
apparens ait: Ecce hîc sum sicut promisi tibi. Erat au-
tem à cingulo & sursum tam corpore quam veste clau-
rus valde, crura verò eius ulcerosa, & ad instar carbo-
nū nigerrima. Requisitus de statu suo, respondit: Tor-
menta quæ in cruribus sustinui, nulla lingua posset
exprimere. Dicente monacho: Quæ fuit causa tanto-
rum tormentorum? Ille subjunxit: Quia frequenter
de labore mansi, nulla sçpissime certa necessitate, vt
est hospitum sive audiendarum confessionum, me de-
tinente. In residuo corpore nil poenarum passus sum:
roga igitur ex parte mea conuentum, ut aliquas ora-
tiones pro me Deo offerat, & spero me citius fore li-
berandum. Vnde, inquit, sciam vos esse liberatum?
Respondebat ille: Ante hoc altare tibi apparebo. Dicta sūt
hæc Priori, injunguntur orationes, appetit iterū mo-
nacho, ab omnibus poenis se ereptum gratulatur.

APOL-



APOLLONIVS: Miror vtrum plus mortuis valcat orationes vel eleemosynæ. CÆSARIVS: Audi de hoc solutionem cuiusdam mortui.

CAPUT XXXII.

Quidam post mortem amico suo apparens, cum ab eo interrogaretur, vtrum sibi magis vellet ius plus impendi orationes siue eleemosynas. Responsum est: Eleemosynas, eleemosynas; orationes enim tibi orationes dæ sunt. Hic denotè justorum orationes * excluduntur, quæ eleemosynas, eleemosynas; orationes enim tibi orationes dæ sunt. Hic denotè justorum orationes * excluduntur, quæ penetrant cœlos. APOLLONIVS: Quid sentis missa? CAESAR: Nulla oratio, nulla eleemosyna, * sortit ad erēptionem animarum, missa potest comparari. In decessu Missa Christus orat, cuius corpus & sanguis eleemosyna non nā sunt. Has eleemosynas pauper quædam anima sibi Eccli. 35 dari post mortem rogauit, sicut sequens docet exemplū.

CAPUT XXXIII.

Adolescens quidam nobilis ad Claramuallem veniens, receptus est in Conuersum: qui non alta sapiens, sed humilibus consentiēs, ad quādam grāgiā missus, factus est ibi opilio ouium. Qui cū die quadam oves sibi commissas in agro pasceret, apparuit ei quidam suus consobrinus in adolescētia sua defunctus, de cuius inopinato aduentu dum admiraretur & diceret: Vnde tam citò aduenis, & quid quaris? Respondit ille: Mortuus sum, & pœnis maximis crucior. Et Conuersus: Poteris iuuari, necne? Respondit: Si potero habere tres Missas in ordine vestro, mox liberabor. Audiens hoc Conuersus, cum licentia magistri sui ad Claramuallem festinavit, & quid viderit vel audierit Prior reuelans, tres Missas, iā dicto impendi defuncto, eius gratia supplicauit: cui Prior grātanter annuens respondit: Ego vnam celebrabo, alias duobus sacerdotibus iniungam. Dictis verò Missis, mortuus iterum Conuerso apparens in prædicto agro, gratias egit, & dixit: Beneficio trium Missarum, quæ pro me dictæ sunt, ab omnibus pœnis meis liberatus sum. Nec mirari debes, si tantum valet Dominici corporis immolatio, cū quibusdam animabus ad liberationem proficit breuis verborum absolutio.